

## Laocoon et equus Troianus

oppressi bellō longō et ā deīs aversī, dūcēs Graecōrum, iam post decem annōs, magnum equum ligneum arte Minervae faciunt. uterum multīs mīlitibus complent, equum in lītore relinquunt, et ultrā insulam proximam nāvigant. Trōiānī nullās copiās aut nāvēs vident; omnia Trōia gaudet, panduntur portae. dē equō, autem, Trōiānī sunt incertī. aliī eum in urbem dūcī cupiunt, aliī eum Graeciās insidiās appellant. Prīmus ibi ante omnēs, dē arce currēns, Lāocoōn, sacerdos Trōiānus, haec verba dīcit: “O miserī cīvēs, nōn estis sanī! quid cōgitātis? nonne intelligitis Graecōs et insidiās eōrum? aut inveniētis in istō equō multōs mīlitēs acrēs, aut equus est machina bellī, facta contrā nōs, ventūra in urbem, vīsūra casās nostrās et populum. aut aliquid latet. equō nē crēdite, Trōiānī: quidquid id est, timeō Danaōs et dona gerentēs!” dīxit, et potentem hastam magnīs vīribus manūs sinistrae in uterum equī iēcit; stetit illa, tremēns.

scinditur incertum studia in contraria vulgus.

Prīmus ibi ante omnis magnā comitante catervā 40

Laocoon ardēns summā decurrit ab arce,

et procul 'ō miserī, quae tanta insānia, cīvēs?

crēditis āvectōs hostis? aut ulla putātis

dōna carēre dolis Danaum? sic nōtus Ulixēs?

aut hōc inclusī lignō occultantur Achivī, 45

aut haec in nostrōs fabricata est machina murōs,

inspectura domōs venturaque desuper urbi,  
aut aliquis latet error; equō nē crēdite, Teucri.  
quidquid id est, timeō Danaōs et dona ferentis.'  
sic fatus validis ingentem viribus hastam                    50  
in latus inque feri curuam compagibus aluum  
contorsit. stetit illa tremens, uterōque recussō  
insonuere cavae gemitumque dedere cavernae.  
et, si fata deum, si mens non laeva fuisset,  
impulerat ferrō Argolicas foedare latebras,                    55  
Trōiaque nunc staret, Priamique arx alta manēres.